Caes. catal.

mortis in ipsum lata per portam civitatis que dicitur S. Severini ad campos eductus [w] confractis tormentaliter [x] cruribus et brachiis suis et omnibus membris miserabiliter distractis supra rotam positus [y] in monticulo iuxta viam regiam [z] prope [a] cuius usque in presens apparent vestigia, ad miserum transeuntium spectaculum est tormentaliter [b] elevatus. Plurimi quoque ex eiusdem satellicio postea in brevi morte pessima perierunt. Et quod dignum relatu duximus adnotatandum [c], omnis eiusdem sacrilegi comitis [d] posteritas post [e] dicti venerandi pontificis interfectionem [f] defecit in statu et honore et adhuc hodie deficit nec umquam postea resurrexit [g]. Sepultus est autem iste venerabilis presul Engelbertus in ecclesia S. Petri.+

Heinricus primus Coloniensis archiepiscopus L a.

Quinquagesimo loco successit in regimine pontificalis cathedre Coloniensis ecclesie sedens sub Frederico imperatore II. annis 12 venerabilis presul Heinricus I. Hic de domo nobilium de [h] Mulnarken [i] ducens originem de morte Engelberti sui predecessoris condignam sibi assumens ultionem primo castrum dicti comitis sacrilegi homicide potenter obsedit, quod captum a fundamentis [k] diruit et solo coequavit. Demum apud sedem apostolicam obtinuit mitti unum cardinalem legatum in Colonia pro anathemate reorum mortis antecessoris celebriter exequendo. Tandem accedens ad imperium apud Nurenbergh [l] in curia solempni principum ibi congregata adductis secum et ostensis in publico spectaculo vestibus antecessoris [m] sanguinolentis interfecti omnes in morte

+ add. 2 in marg. 27 vulneribus confossus martirio, ut legatus pape predicaverat, est coronatus. Qui comes postea rote superpositus fuerat interemptus matre sua stante sub rota clamante: Hec sunt intestina mea a corvis devoranda. Episcopus autem infinitis miraculis claruit, sed post vindictam nullis choruscavit.

Vgl. Ficker VII

w) ductus 3. x) tormentabiliter 4. 4'. 4". y) positis 1. z) regnia 3. a) an Coloniam (ipse 4'. 4") supplendum esse putemus? b) tormentabiliter 3. 4. 4'. 4". c) advocandum 2. d) comitis deest 2. e) post deest 1. 2. 3. f) interfectione 3. g) nec - resurrexit des. 3. h) de deest 1. 3. i) Molenarcken 1. Moelenarcken 3. k) fundamento 4. 4'. 4". l) Nurenberch 2. Nurenberg 3. m) antec. vest. 3.